

de domo absentiae, causa sit; tum ut ipse sit probus, & unde domui nostrae nullum periculum aut dedecus immineat. Præterea, ut advena ejusmodi calamitate quadam prematur, & pretio hospitium conducere nequeat. Hinc major olim humanitatis hujus fuit necessitas, cum publica diversoria in usu nondum essent, aut vitia viroque honesto indecora haberentur; quam hodie in plerisque Europæ regionibus, ubi & ad usum & splendorem illa passim exstructa inveniuntur. Similem Turcarum humanitatem & hospitalitatem laudat Busbequius Epist. 1, eorumque Xenodochia (quæ *Imaret* vocant) prædicat commodissima, non ineleganter constructa, suisque distincta cubiculis: *neque ab eis, aut, arcetur quisquam sive Christianus, sive Judæus, seu dives, seu mendicus sit; ex a quo patent omnibus.*

VII.

Sed quoniam copia parva singulorum sunt; eorum autem, qui his egeant, infinita est multitudo, vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem, *Nihilominus ipsi lucet: ut facultas sit, qua in nostros simus liberales.* Sensus est Tullianæ hujus Objectionis: Dicere quis posset, si omnibus hominibus ope nostra indigentibus sumus obligati, sane nobis nostrisque deerimus: privatorum enim hominum plerorumque pauca sunt copiae ac divitiæ respectu tot egentium, quorum pene infinitus est numerus, regiisque sumptibus vix sustentandus. Sed respondetur: Eo fine ac modo regi debere *vulgarem* (h. e. erga omnes homines promptam) liberalitatem nostram, ne ipsi egeamus, aut facultas nobis desit, qua in *nostros* (domesticos & propinquiore societatis nexu junctos) liberales esse possimus. Adeoque repetendum est illud Ennianum: *Nihilominus ut ipsi luceat; h. e. ut sine derrimento atque incommodo proprio hæc præstet officia: sive, ut alii Codd. legunt: Nihilominus*